



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE CHRISTO CAPITE|| TOTIVS ECCLESIAE,|| QVINQVE LIBRIS|| explicata.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

III. Idem probatur ex doctrina Patrum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53845](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53845)

CAPVT III.

Idem probatur ex doctrina Patrum.

ACCEDANT nunc testimonia Patrum. Eusebius lib. 10. demonstrat. Euangel. cap. ult. exponit Psal. 21 ex illis verbis: *De ventre matris meae Domine meus es tu*, deducit Christi animam in ventre virginis perfectissimam cognitionem, & constantiam habuisse, immo & Deum vidisse, cui cognitioni nihil addi potest. Cum, inquit, adhuc intra cellam gestantis me in Grece lateres, te tamen Deum meum videbam, &c. Et supra: *Putabar, ut reliqui hominum infantes, imperfectus esse, & absque similitudinis, non autem eram talis, licet mihi ceteris hominibus simile esset corpus.*

AMBROSIVS lib. 5. de fide, cap. 8. proponit quorundam sententiam, qui dicebant, Christum ut Deum omnia sentiri, non autem ut hominem, quia scriptum sit, *Proficiebat sapientia*, &c. Deinde refellit, dicens: *Hac tamen alij dicant, quod tem multo magis arbitror, quod Filius qui cum hominibus conversatus est, & hominem egit, & carnem suscepit, nos sumpsit affectum, & nostra ignorantia nescire se docere, nisi quod aliquid ipse nesciret, &c.* GREGORIUS NAZIANZENSIS orat. in Basilium, parum à medio: *Proficiebat*, inquit, *sapientia*, non ut incrementum aliquod acciperet, cum ab initio Dominus gratia, sapientiaque absolutus esset, sed quod hac hominibus ignavis paulatim apparerent.

HIERONYMVS in cap. 11. Isaiaë dicit, in Christum ex Maria conceptum descendisse Spiritum sanctum non per partes ut in alios sanctos: *Sed iuxta Euangelium Nazarenorum, inquit, descendit in eum omnis fons Spiritus sancti.* Et in cap. 11. Hieron. in illud: *Mulier circumdabit virum.* Absque *Viri semine, absque illo coitu*, inquit, *femina circumdabit virum gremio* &c. *qui iuxta incrementa quidem aetatis per sagittas & infans proficere videbitur sapientia & aetate: sed perfectus viri utero Virginis solitis mensibus continebitur.*

ATHANASIVS serm. 4. contra Arianos, ultra medium simpliciter negat Christum in sapientia profecisse: *Estis*, inquit, *ille homo, ut vulgus hominum, am Deus humanitate* &c.

carne indutus? Quod si vulgaris est homo, esto ut pro conditione aliorum hominum profectus capiat. at istiusmodi est Samosatensis sententia, quã vos tanto animo, & ope fouetis, &c. Verum est quidem Athanasium præcipuè loqui de Christo, qua Deus erat, cum negat eum profecisse, tamen cum solum admittit profectum, quoad externam demonstrationem sapientiã, & simpliciter negat Christum interno profectu villo modo actum esse; satis apertè significat, se loqui etiam de Christo, quã homo erat.

AVGVSTINVS lib. 2. de pec. mer. & rem. cap. 29. *Quam, inquit, ignorantiam nullo modo crediderim fuisse in infante illo, in quo Verbum caro factum est, ut habitaret in nobis: nec illam ipsius animi infirmitatem in Christo paruulo fuerim suspicatus, quam videmus in paruulis.* Et infra: *Sed quia in eo erat similitudo carnis peccati, mutationes ætatum perpeti voluit ab ipsa exorsus infantia, &c.* Vbi August. solum ætate concedit Christum profecisse, & mutationem passum, nõ autem in dotibus animæ. Et lib. 15. Trinit. cap. 26. absurdissimum iudicat, Christum accepisse Spiritum sanctũ alio tempore, quàm in ipsa conceptione.

CYRILLVS lib. 20. thesauri, cap. 7. apertè dicit, nihil additum Christo, etiam si legamus eum profecisse sapientia, & gratia. Et lib. 1. in Ioan. cap. 17. *Quia magis eum, inquit, indies homines admirabantur, illorum potius de Iesu opinio, quàm illius perfecta crescebat gratia.* GREGORIUS lib. 8. epist. 42. laudat Eulogium qui scripserat contra Agnoitas, & ipse etiam eam hæresim breuiter refellit. SOPHRONIVS quoque in epist. ad Sergium, quæ legitur in VI. Synod. act. 11. damnat Themistium auctorem Agnoitarum.

BEDA in hom. Domin. 1. post Epiphã. *Iuxta hominis, inquit, naturam proficiebat sapientia, non quidem ipse sapientior ex tempore existendo, qui à prima conceptionis hora spiritu sapientia plenus permanebat, sed eandem, qua plenus erat, sapientiam ceteris ex tempore ministrando, &c.* DAMASCENVS lib. 3. cap. 22. *Qui, inquit, proficere ipsum dicunt sapientia & gratia, & horum accessionem additionemq; subinde suscipiẽtem, non secundum hypostasim adorant vnionem, &c.*

BERNARDVS hom. 2. super Missus est: *Sive latens, inquit, & sicut, sive & agiens in præsepio, sive iam grandiusculus in tem-*

plō, siue iam perfecta ætatis docens in populo, a quē profectū
 plenus fuit Spiritu sancto, nec fuit hora in quacunque ætate
 sua, quæ de plenitudine illa, quam in conceptione susceperat
 in Vtero, vel aliquid minueretur, vel aliquid eidem adire-
 tur. Vide quoq; Anselmum lib. I. Cur Deus homo, & Theo-
 phylactum in 2. caput Lucæ.

CAPVT IV.

Idem probatur rationibus.



DDAMVS POSTREMO argumēta ex ratione
 petita. PRIMVM, Non esse vllō modo credibile,
 vt Verbum personaliter factus sit homo, & non
 simul effuderit in ipsa incarnatione in illam hu-
 manitatem omnia dona, quorum capax erat. Nam si fecit il-
 lam animam, animam suam propriam, ita vt verē dicatur,
 sit anima Dei, quomodo verisimile est, non illam continēd
 sapientissimam reddidisse? Absurdum est enim, animam sa-
 pientiæ aliquando insipientem fuisse; & hoc est quod riger
 DAMASCENVS, cū ait, eos non credere incarnationem, qui
 credunt, illam animam paulatim profecisse.

SECUNDA RATIO, Sapientia & gratia Christo homini
 naturalis fuit, vt docet AVGVSTINVS in Enchirid. cap. 40.
 non quidē quōd non fuerit à Deo animæ infusa, sed quia in
 Christo ab intrinseco principio, & per modum nature flue-
 bat, siquidem ipse Christus seipsum gratia & sapientia reple-
 bat, id est, ex vna Christi natura in alteram hæc dona redun-
 dabant, ergo non accepit Christus illam sapientiam, vel gra-
 tiam post incarnationem, sed in ipsa incarnatione; nam ideo
 dicitur naturalis, quia statim & abundantissimè manauit.

TERTIA RATIO, Christus homo in incarnatione ce-
 pit esse Filius Dei, ergo tunc debuit repleti omnibus donis.
 Nam Filius est hæres omnium bonorum paternorū; nec de-
 buit expectare Christus successionem ex morte Patris, vt
 notum est. Et hæc esse videtur ratio CYRILLI lib. I. in Iou-
 nem, cap. 17. vbi dicit, Deum dedisse Christo omnem sapien-
 tiam & gratiam, quia Filius erat. Ceteris autem dedisse mu-
 nera quædam, quia serui sunt, vt etiam legitur fecisse Abrahæ
 Genes.